

et augendum verum DEI Cultum, et promovendam uberiores in dies ejusdem misericordiam et benedictionem, clementissime, atque sanctissimae annuere dignata est; ut Statuta eorundem Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum, in favorem et conservationem Orthodoxae Religionis condita, occasione hujus Dietae confirmarentur.

§. 1. Ex hac proinde Sacrae Regiae Majestatis benignissima, aequae, ac pietissima Resolutione, sic et unanimi Statuum et Ordinum Consensu et Voto; Statuta eadem confirmantur.

§. 2. Et veluti juxta Artic. 86. Anni 1723. in eodemque citatos et hicce etiam confirmatos, dispositum jam esset; ut in Districtu eorundem Regnorum non alii, quam Romano-Catholicam Religionem profitentes, Possessionis Bonorum sint capaces; ita Officiales Oeconomici Dominorum Terrestrium a Fide Orthodoxa alieni, in antelatis Regnis Administrationis quoque Bonorum incapaces esse declarantur.

§. 3. Quo vero ad Varasdinensem et Carlostadiensem Generalatus semet facturam, benignissime Sua Sacra Regia Majestas declaravit; ne inde quoque dictae Orthodoxae Religioni quodpiam eveniat praejudicium.

§. 4. Metropolitae porro Graeci Ritus non Unitorum, in Districtu praefatorum Regnorum, nulla utique in antelati Ritus Clerum et Populum admittetur Jurisdictio.

§. 5. Quod autem concernit Episcopi Szvidniczensis cum Ecclesia Catholica Uniti, ex Monasterio Marchensi exclusionem; aliosque contra Simeonem Philipovich insinuos Excessus; fundate indagari curabit, superindeque condignam animadversionem et praeterea damnificatis competentem reparationem decerni faciet Altefata Sua Regia Majestas;

§. 6. Id etiam curatura; ut quoadusque alii etiam Episcopi Graeci Ritus non Uniti ibidem perstiterint; ab omni Excessu et Confusione sese continere debeant.

De Authoritate Banali.

Articulus 47.

Annunte benigne Sua Sacra Regia Majestate, communi Statuum et Ordinum Voto; praefatorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Banus, amodo imposterum, a potiori intra Limites Regni permansurus; in plenam et Legalem Authoritatem, atque Jurisdictionem, juxta etiam Articulos 114. Anni 1715. et Art. 87. Anni 1723. hic Loci confirmatos, reponendus, atque in eadem conservandus statuitur.

De Exemptione ab Hybernis, Transennis item et Condensationibus Militaribus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae.

Articulus 48.

Quod Sua Sacra Regia Majestas, varia tam Pacis, quam et Bellorum temporibus,